

IO. GOTTL. HEINECGII,
IURE CONSULTI QUONDAM
CELEBERRIMI

EXCITATIONES

ELEMENTA IURIS CIVILIS
SECUNDUM ORDINEM

INSTITUTIONUM

ACCE DUNT

IO. CHRIST. GOTTL. HEINECCII

CONSIL. AUL. PRUSS. ET ANTE.

COMMENTARIUS

DE VITA, FATIS AC SCRIPTIS

B. PARENTIS

AUCTIOR EMENDATOR.

CHRISTIANI THOMASII

DELINEATIO HISTORIÆ JURIS

NEC NON

BURC. GOTTELF. STRUVII

BIBLIOTHECA JURIS SELECTISSIMA

CUM NOTIS

HEN. CONTEL MANNI

Ubi præstantiora Jurisconsultorum Opera ad nostra
usque tempora referuntur.

T O M. I.

TICINI REGII. MDCCCLXXX.

IN TYPOGRAPHEO MONAST. S. SALVATORIS
PRAESID. REI LITTER. PERMITT.

V I R O
*ILLUSTRI AC DOCTISSIMO, IURIS
CONSULTO CELEB.*

**IO. LUDOVICO
VHLIO**

CONSIL. ONOLD.

IUR. PUBL. PROF. IN ACAD. VIADRINA

AMICO VETERI ET CARISSIMO

RECITATIONES HEINECCIANAS

CONSECRAT

EDITOR.

I U S T I N I A N I S T I S

S. P. D.

E D I T O R.



*Os iam compello, IUSTINIANISTE, cupidi
legum iuvenes: vobis enim merito, ac vestro
quodam iure dico addico, quas iam publici
iuris facio, praelectiones in Io. GOTTL. HEINECCHI Elementa
iuris civilis secundum ordinem Institutionum, ab ipso
corundem auctore vestro unice usui ac bono conscriptas olim
ac recitatas. Nata autem illa sunt tum, quum in celebri
Frisorum academia, que Franequera floret, Antecessor ius
civile publice profiteretur, scholasque in Elementa sua non
sine summo auditorum plausu fructuque uberrimo institueret.
Mos enim ei erat, statim ex quo publicus doctor constitu-
tus esset, adsumptus, constanter possea servatus, ac sero de-
mum, tum scilicet, quum exercitatum satis se dicendo do-
cendoque sentiret, desuetus, ea, de quibus in cathedra
exponere vellet, litteris ante mandandi. Qua via & ratio-
ne id se consecutum putabat, quod consecutus quoque
est, ut rite ordinata dispositaque omnia essent, que docere
vellet, ut filum dicendorum haberet ac normam, a qua
non facile deflectere, atque uti a multis magistris vel in-
curiose ac immeditate differentibus, vel luxuriandi pruritu
perque eruditiois ostentationem fieri auimadvertisimus, extra
oleas vagari posset. Sic ordini serviebat, unaque memoria
consulebat.*

*Sic enim semper habuit, officium boni doctoris esse,
numquam nisi bene preparato animo cathedram adscendere.
Vaga, incerta, confusa esse, que sine meditatione ac velut
indigesta & prout verba fuerint, dicerentur. Memoria quo-
que utut tenacissima ac fidelissima non tuo fidi, facilime-
que ex animo fugere, que dicenda sunt, omittique non*

MEMORIA
IO. GOTTL. HEINECCII IC.

I.

Celebre olim nomen in tribus academiis, Halensi, Franequerana Frisiorum & Viadrina, iura, philosophiam litterasque elegantiores docendo, clarissimamque in republica litteraria famam scribendo adse-
quutus est IO. GOTTLIEB HEINECCIUS, Jurecon-
sultus, philosphus & litterator insignis, desideratissimus
pater meus. Huius viri adgredior vitam scribere: viri,
inquam, quem pariter libri bene scripsisse ac bene
docuisse discipuli testantur. Quo sane mœstæ religio-
nis officio lubens meritoque defungor: non quidem
singularium aut memorabilium fatorum ubertate varie-
tateque permotus: istic enim haud facile commemorari
solent, quibus vitæ genus quietum, modestum, latens,
remotum ab ambitu & curis. Non ab oblivione vindi-
caturus: memoriæ enim iam satis ipse consuluit tot
monumentis ingenii nunquam intermorituris. Non lau-
dationem scripturus: qui enim ego laudarem, qui &
laudandi quamdam artem, quæ mea non est, sciam
esse, & si possem etiam laudare, male defungerer,
quum ne noscam quidem eius omnia laudanda. Solet
denique, sat scio, plerumque esse.

Κοῦφα δόστε ἀνδρὶ σοφῷ

Ἄγιλ μόχθων, παντοδαπῶν ἐπος ἐπρείν ἀγαθὸν.

Leve admodum donum, viro sapienti

Pro multis laboribus bonas dicere trudes.

Longe alia consilii mei, fata d. viri commemorandi,

LIBER PRIMUS

T I T. I.

DE JUSTITIA ET JURE

S. XVIII.

Ipsa rubrica docet, duabus partibus constare hunc titulum. Prior enim de iustitia agit §. 18—23. posterior de iure vel Jurisprudentia, §. 24—32.—De iustitia queritur. 1) cur de ea agatur? §. 18. 2) quid sit? §. 19. 3) quotuplex? §. 20—23.

I. De *Iustitia* agitur statim initio instit. & Pandectarum, quia illa totius Jurisprudentiae finis & proximus ICti scopus est. Finem autem suum semper oculos habere decet studiosum. Quemadmodum itaque æternam felicitatem tamquam finem spectat Theologus, sanitatem corporis Medicus: ita finis ICti ultimus est tranquillitas interna reipublicæ, quæ non nisi iustitia obtinetur; itaque est hæc iustitia finis proximus. Tolle iustitiam, & vitam piscium vivemus, ubi maior devorat minorem. Eum in finem ergo reperta Jurisprudentia, ut æquabile in republica esset Jus omnium, ut virtutes præmiis, scelera supliciis macerentur, ut suum cuique tribuatur, ut tutus bos rura perambulet, ut Apostolus loquitur, ut vitam quietam & tranquillam vivamus in omni pietate & honestate, 1. Tim. 2.

2. Magnificis hunc finem Jurisprudentiae verbis inculcat *Ulpianus L. I.* §. 1. ff. *de Justitia & Jure*, ubi ideo ICtos sacerdotes iustitiae appellat, quemadmodum philosophi olim se sapientiae & virtutis sacerdotes vocabant. Sicuti enim sacerdotis finis est, Deum suum colere & meliores reddere homines: ita nos iustitiam co-